

- 2 Obtestatio Iacobi ad Iosephum de se mortuo in Cananaa sepeliendo v. 29. 30.
3 Iosephi promissio & iusiurandum. v. 30. 31.
4 Adoratio Iacobi. v. 31.

PRIMA PARS CAPITIS

Iacob sistitur Pharaoni.

- 1 Venit itaque Ioseph, & nunciauit Pharaoni, & dixit: Pater meus & fratres mei, & greges eorum, & pecora eorum cum omnibus quae habent, venerunt à terra Canaan: & ecce sunt in terra Gosen.
2 Et de extremis fratribus suis viros quinque accepit, quos statuit ante Pharaonem.
3 Et dixit Pharao ad fratres eius: Quae sunt opera vestra? Qui responderunt Pharaoni: Pastores ouium sunt serui tui, & nos, & patres nostri.
4 Dixeruntque ad Pharaonem: vt peregrinemur in terra ista venimus: quia non est pastus pecoribus, quae sunt seruis tuis: grauis enim est faues in terra Canaan; & nunc habitent quae serui tui in terra Gosen.
5 Et dixit Pharao ad Ioseph dicendo: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.
6 Terra Aegypti coram te est: in optimo terra fac habitare patrem tuum, & fratres tuos: habitent in terra Gosen; & si cognoueris, quod sint inter eos viri robusti, eos principes constitues super pecora quae sunt mihi.
7 Introduxit quoque Ioseph Iacob patrem suum, & statuit eum coram Pharaone: & benedixit Iacob Pharaoni.
8 Et dixit Pharao ad Iacob: Quot sunt dies annorum vita tua?
9 Et dixit Iacob ad Pharaonem: Dies annorum peregrinationis meae sunt triginta & centum anni; parui & mali fuerunt dies annorum vita meae, & non accedunt ad dies annorum vita patrum meorum in diebus peregrinationum suarum.
10 Et benedixit Iacob Pharaoni, & egressus est à facie Pharaonis.
11 Habitare igitur Ioseph patrem suum, & fratres suos, deditque eis possessionem in terra Aegypti in optimo regionis: in terra Rameses, quemadmodum praeceperat Pharao.
12 Et alebat Ioseph patrem suum, & fratres suos, & omnem domum patris sui pane, vsque ad os paruuli.

EXPLANATIO.

1. **V**ENIT ITAQUE IOSEPH. Prima parte capituli Moyses narrat successum consilij Iosephi, qui post salutatum patrem, & fratres consilio instructos, ipsis in Gosen relictis redit ad aulam, nunciàs regi aduenisse patrem & fratres suos cum omni familia & supellectile, atque in terra Gosen subsistere, donec hospitium alicubi rex eis assignet. De hac Iosephi officiosa prudentia diximus prius. Non quidem ipse petit aut designat aliquid; ne videatur regis clementiæ vel

A diffidere vel præscribere velle, sed alios quos ex fratrib. sistit regi, qui prout fuerant edocti, decore supplicent: tum vt sic fratres etiam innotescerent regi: tum vt regis benignitatē erga Iosephi familiam minime extortam aut rechina aliqua acquisitam, sed mere spontaneam esse appareret. **STATUIT CORAM PHARAONE.** Incertum an iussu regis eos ex Gosen aduocauerit; an statim secum adduxerit, aliis ibi subsistere iussis cum patre & famulis. Posterius videtur probabile. **Solus**